



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Series Archiepiscoporum Coloniæ. Periodus II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

## SERIES

ARCHIEPISCOPORUM  
COLONIÆ.  
PERIODUS II.

XXII. D. AGILOLPHVS. I. ARCH.

**O**perante plurimū, ut fides est, Dagoberto III. Frani-  
rum Rege, D. Agilolphus Archiepiscoporum Coloniæ  
omnium primus, à D. Gregorio II. Pontifice est exor-  
natus Pallio, simûlque Archiepiscopali ejusdem potestati fuerunt  
subjecti Episcopi quatuor, aut plures, nimirum Leodiensis, Ul-  
trajectensis, Monasteriensis, & Osnabrugensis, ac demum etiam  
Mindensis. Verùm his dictis opponunt Scirptorum nonnulli,  
D. Agilolphum an. Sedis 7. Christi 717. à vitiosissimis homini-  
bus occisum, Archiepiscopatum vero Coloniæ annis ferè 30. se-  
riùs inchoatum fuisse; unde Agilolphum alterum in Serie adji-  
ciendum dicunt, vel longè citius sub Agilpho nostro institu-  
tum jam esse evincunt, vel certè sub Agilpho initium non  
accepisse, dictat ratio & necessitas.

XXIII. RAGINFREDVS. II. ARCH.

**R**Eginfredus ab aliis nuncupatus, Carolo Martello in Fran-  
cia Regio munere strenue fungenti, sese peraccepit  
reddidit per años omnino 30. si manuscriptis huc missis sit  
insistendum. Dolendum sanè, quòd de Archipræsulibus hoc præ-  
fertim seculo non nisi communi pluribus laude celebratis relicta  
non fuerint elogia singularia; nam Virorum Principum vel insig-  
nes virtutes, vel etiam vitia nōsse, plus placet crebro Lectori-  
bus

bus, quam ignorasse omnia. Anno hujus Seculi 50. die obiisse suum traditur Raginfredus.

#### XXIV. D. HILDEGARVS III. ARCH.

**H**ildebertus ab aliis nominatus, multorum Sacerdotum antesignanus, anno Sedis sue 7. vix finito jam cecidit, occisus a Saxonum turba idolatriæ innutrita. Anno nimirum Salutis 757. Franci Duce Pipino Rege, vel certè Regis loco regnante, in Saxones durissimos moverunt sequentibus Ducem commilitonibus multis.

#### XXV. BERTHOLINVS. IV. ARCH.

**B**ertholinus Annorum 15. Archiepiscopus templis omnino diversis vetustate deformatis decorem restituit, & novis simè extractis addidit: Divi insuper Agilolfi ossa honoravit, & conversione multorum idololatrarum Christianos cœtus insigni augmento exornavit, Pipino genitori, & Carolo filio Francorum Regibus ex ase Catholicis perquam pretiosus. Anno 772, obiisse scribunt.

#### XXVI. RICOLPHVS. V. ARCH.

**R**icholpus, quem multi Richolphum; pauci Reinoldum dixerunt nomine, Archipräfulem sancè laudibus dignissimum, qui nempe Colonienses inter per annos 10. eam gregem Domini custodivit cura ac vigilantia, ut ejusdem gesta laudarint omnes maximè à singulari in pauperes munificentia; mortem verò à singulari patientia: occisus enim clam à sicariis sacrilegis in cœlos evolavit, dum cadaver pretiosissimæ animæ domicilium in aquas profundas demersum, in ipsas Divorum Aras elevari est promeritum.

#### XXVII. HILDEBOLDVS. VI. ARCH.

**D.** Hildeboldus Annis 36. Coloniæ Antistes Supremus præfuit, ab anno nimirum 782. usque ad annum 818. quo

U. 3  
fat

sat longo tempore Hadriano I. & D. Leoni III. Pontificibus Maximis, nec non Carolo M. meritis suis singularibus sese reddidit pretiosum; unde à Carolo consiliis crebro est adhibitus Regiis, & demum etiam Imperatoriis; à Pontificibus verò Sedis Apostolicæ Apocrisarius est constitutus, ac temporum successu in Divorum Album relatus. Merita hujus Archipræsulis hac synopsi complectuntur Colonienses:

Hildboldus Magno Carolo gratissimus hospes,  
Virtutum titulis magnus & ipse fuit.

## SECULUM IX.

### XXVIII. HADEBALDVS. VII. ARCH.

**P**Ræclarum sibi net nomen comparavit Hadebaldus gemino in Concilio, altero Aquisgrani, altero Moguntiæ habitu, in quibus Danorum aliorūque Septentrioni propinquorum populorum conversio promota est plurimūm; quem in finem Hadebaldus D. Ansgario de necessariis providit & navim instruxit. Annis 28. Sedit an. 846. mortuus, post cuius fata ob Normannorum in Germaniam & Franciam irruptiones, atque etiam ob hæredum Carolo Magno succedentium pugnas & lites per annos 5. Sedes Coloniæ sacra relicta est vidua.

### XXIX. GVNTHARIVS. VIII. ARCH.

**G**Untharii per annos 12. Coloniæ Archipræsulis soror fuit Waldrada, quam repudiata Theuthberga conjugé legitima, cùm in thalamo sibi jungeret Lotharius junior Rex Austrasiæ, & factum suo etiam calculo firmaret Guntharius, eam ob rem authore D. Nicolao Pontifice Metris celebrata Syndicus Guntharium, & mox etiam Theidgaudum Trevirorum Antistitem cum affeclis anathemate confixit. Inter bruta fulmina nume-

numerandum censuit hoc Ecclesiæ Romanæ fulmen Guntharius; verum dum contempto periculo ad aram facere paravit, vi occulta spoliatus est veste Sacerdotum propria attonitis cunctis, qui rerum arbitri adstabant. Annis 7. inter vivos superstes luit suam & Regis Lotharii causam moestissimam.

## XXX. WILIBERTVS. IX. ARCH.

**W**ilibertus anno 863. Archipræsul electus, at primùm an. 870. consecratus, ita præfuit Ecclesiæ suæ, ut per id tempus perpetuos passus sit adversarios Guntharium & huius asseclas. Annos 20. alios ea moderatione animi transegit, ut multūm Clericis & Proceribus indulserit, unde versus:

Wilbertus populi votis Procerūmque favendo  
Indulxit mystis libera jura suis.

## S E C U L U M X.

## XXXI. HERMANNVS, X. ARCH.

**H**ermannus annis 35. Coloniensibus tanta virtutum commendatione præluxit, ut eidem meritò *Pii Cognomen* inditum, hoc maximè modo posteritati commendandum esse duxerint:

septem lustra Ubiis Hermannus munia facra  
Exhibuit, dictus nomine jure Pius.

Pium Augusto suo suffragio dixit etiam Arnulphus Imperator, qui Hermanni sāpe operam & consilium requisivit.

## XXXII. WICHFRIDVS. XI. ARCH.

**T**Ametsi Wichfridus annos 28. imperantibus Henrico Aucupe & Ottone M. Coloniensem Ecclesiam rexerit, nihil tamen de eodem meminere Colonenses armorum, quam librorum amantiores.

XXXIII.

## XXXIII. BKVNO I. XII. ARCH.

**B**runo Henrici Aucupis filius, Ottonis M. frater, Pedo & gladio gloriosus, mirè profuit Ecclesiæ & Imperio; Imperatoris enim nunc in Italiam, nunc in Hungariam cum exercitu profecti in se suscepit munus & implevit strenuè, præsertim cùm rebelles Lotharingios compescuit. Agnovit fratris beneficium Imperator gratissimus: ditiones enim Coloniensis Ecclesiæ bonis & privilegiis multùm adauxit; quibus etiam majus incrementum Bruno adjecit, dum in Burgundiam abiit, sed & inde Rhemos divertit, ibidem calida febri extinctus, postquam Colonensem Ecclesiam omnium bonorum hæredem scripsit an. 965. Sedit an. 12. Conditor is fuit templi Panthaleonis, in quo sunt reconditæ Brunonis exuviae, quas Rhemis Coloniam translatas multis lacrymis prosecuti sunt inter indigenas Normanni advenæ à Brunone magno numero baptizati. *Vid. Albertum Kranzum de Saxonia.*

## XXXIV. VOLMARVS. XIII. ARCH.

**V**olmarus de Ecclesia Colonensi optimè meritus, serò tamen in supremam ejus Sedem ascendit, quòd obstante Brunonis Antecessoris non minùs insignia merita, summa ad hæc natalium nobilitas, & inter Viros etiam Principes authoritas. His moti argumentis Lotharingi, Brunoni subdiderunt & colla & capita; at non ita Volmaro, quam inter brevissimæ vitæ causas numerârunt illi, qui post annos Sedis 4. Volmarum sepeliérunt an. 969.

## XXXV. D. GERO. XIV. ARCH.

**D.** Gero ex Lusatia Marchio à Colonensibus electus Antistes, tantùm primò displicuit Ottoni II. Cæsari, ut hic eidem deneganda duxerit insignia Viris Principibus

bus in Imperio concedi solita. Verum Geronis partes æquissimas in se suscepisse visus est Genius tutelaris, cum Cæsarem dormientem sui muneric commonefecit, ut læso Geroni satisfaceret. In extasin non raro abripi, & exanimi similem decumbere, cum sciret perbene Warinus Coloniae inter Diaconos Supremus, id commodum suum ratus, vivum oxyüs sepulchro intulisse scribitur Geronom, cum annis 7. sedisset an. 976. mature nimis sepultus. Cæterum ante alios D. Geronom colunt claustra Gladbachensis, quorum author extitit.

### XXXVI. WARINVS. XV. ARCH.

**W**arinus votis suis parum religiosis damnatus, atque in Solium Colonense plurium electorum Canoniconrum calculis promotus, optata tamen pace nequam frui potuit; conscientiae enim stimulis potenter adeo fuit agitatus, ut Romam usque profectus, scelus suum palam fecerit Benedicto VII. Romano Pontifici, à quo pœnitentiæ causâ jussus est D. Martini monasterium Coloniae vel instaurare, vel funditus condere; teste igitur eodem monasterio animi labes ædificiis sacrâ eluit, & 8. annorum compendio desideratam adeo Sedem Coloniae possedit an. 984. mortuus.

### XXXVII. EVERGERVS. XVI ARCH.

**E**vergerus ob singularem modestiam, animi moderacionem & solitudinis amorem laudatus multum, Archipræfatum illorum fuit omnium ultimus, qui Electores non fuerunt in Imperio: periodum proinde hanc claudat, qui vitam clausit an. 997.

SE

X